


IN DOCTRINAM CATHOLICAM
DE LIBRORUM PROHIBITIONE
UT ERRORES NONNULLI RECENS VULGATI
REFELLANTUR
FRIDERICI MARIAE NOBILIS ZINELLI
EPISCOPI TARVISINI
ad suum Clerum
EXPLANATIO



TARVISI
ex Officina Cajetani Longo Typographi Episcopalis
MDCCCLXIII

Ad aures meas pervenit malos homines occasionem nactos ab illis litteris oblatam, quas paucis abhinc diebus ad Clerum populumque dedi, in agro patrisfamilias superseminasse zizania, falsas et periculosas nempe de librorum prohibitione, deque aliis obsequio Ecclesiae debito adversantibus, sparsisse sententias. Cum Ego tunc temporis in experimentis studiorum ecclesiasticae juventutis, quae de more in Seminario Episcopali exeunte anno scholastico sunt habita, totus essem, quamquam nullam occasionem praetermiserim sive publice, sive privatim, illas periculosas aut subdolas sugillandi sententias, non potui oculis Cleri universi, ut mei est muneris, ea subjicere quae apta videbantur ut una eademque sit ratio tum impugnandi adversarios, si opportune cedat, tum a laqueis captiosarum opinionum fideles eripiendi. Ad Clerum vero tantum dandas instructiones arbitratus sum, nam forsitan in praesentibus rerum adjunctis per Parochos, aliosque Sacerdotes in laicos insinuari sine pompa veram doctrinam consultius quandoque videtur, quam data opera et solemnī quadam disputandi forma proponi. Et jam nisi id hac simpliciori methodo praestetur, in tanta scriptorum audacia, nonnullorum praecipue ephemeridum auctorum, ansa daretur pertractandi quaestiones sacras veluti prophanas illis, quibus nec id munus ab Ecclesia demandatum est, nec ita se moderari sciunt, ut reverentiae Pastoribus Ecclesiae debitae

limites non transgrediantur. Ne vero fiat oratio prolixior quam par sit, omissis aliis quae hac super re dici possent, quaedam, filii dilectissimi, subjiciam vobis quibus nihil docebimini quod ignoretis, sed potius admonebimini qua norma ac prudentia uno ore ab universo Ecclesiastico Dioeceseos coetu aut publice populo praedicandum aut privatim instruendi fideles pro opportunitate, aut diversa indole ipsorum fidelium, aut varia eorum ingenii cultura.

Dixi autem pro opportunitate, pro diversa indole, pro diversa ingenii cultura, idque non temere dixi sed consilio. Non enim omni tempore, non omni occasione quaelibet veritas praedicanda; quamvis nullo tempore silentio premenda sit, si ex silentio eam nos inficiari alii arbitrentur; proditor sane, qui sic ageret, esset veritatis. Dixi pro indole, nam sunt et qui in disputationibus pejores fiant; et proinde si cum istiusmodi hominibus negotium habeamus, silentio aliquando juvat premere dolorem doctrinamque sanam clanculum eorum animis, si possibile est, instillare, secus non saluti eorum prospectum foret, sed ad perditionis viam aditus amplior illis aperiretur; quod tamen fieri non debet si veritatis tutela aliud postulet ad scandalum vitandum, vel si urgeat praecipuum Spiritus Sancti ab Ezechiele denuntiatum admonendi peccatores ne sanguis eorum a nobis exquiratur; silere in his rerum adjunctis esset non prudentiae obsequi, sed veritatis jura pessumdare. Dixi demum pro varia ingeniorum cultura, oleum enim et operam perderet qui in multis quaestionibus rudem populum edocere vellet; praecipue si circa res practicas versarentur, quae nulli usui illi esse possent. Ridiculum enim esset rusticis hominibus, litterarum plane ignaris, de prohibitorum librorum lectione fuse disserere, quibus reverentia dumtaxat erga Ecclesiam ejusque leges majori cum proventu inculcanda est.

Inutilem mihi laborem, filii dilectissimi, suscipere, si de potestate Ecclesiae collata libros tetra nota signandi, damnandi, proscribendique dissererem. Vos enim probe nostis hanc potestatem Ecclesiae datam, cum pascendi gregem fidelium munus illi fuit demandatum; compertum quippe est omnibus, Deum numquam munus alicui committere, quin omnia det quae ad muueris collati partes implendas facultatem praebeant. Ex quo igitur Christus Ecclesiae pascendum gregem commendavit, eo ipso potestatem dedit arcendi gregem a pascuis et a fontibus venenatis. Quidni? Si colloquia prava bonos mores corrumpunt, eo magis libri mali; sive mali sint quia reapse doctrinas, aut sententias tantum falsas, aut temerarias, aut piarum aurium offensivas, aut scandalosas, aut schismaticas, aut erroneas, aut haeresi proximas, aut haereticas continent; sive mali sint, quia eae sententiae, quae absolute consideratae haud essent falsae, in ipsis praedicantur veluti hic et nunc practice utiles, cum hic et nunc noxia esset earum deductio ad praxim; sive mali quia quacumque alia ratione noxia earum pervulgatio fidelibus praevidetur.

Quamquam autem absolute verum sit aliquos libros a Pastoribus posse damnari ut noxios, quamvis absolute et sub omni specie falsas propositiones haud contineant, tamen hic aliquid notandum est ne fraudulentis homines his nostris dictis abutantur.

Ecclesia cum libros prohibet, qui absolute et sub omni specie falsa non continent, sed quorum noxia posset esse evulgatio, regulis generalibus potius quam specialibus decretis procedit, uti ex. gr. cum sacra Biblia in vulgari sermone passim a fidelibus legi vetat; quo casu numquam, quod sciam, usa est Ecclesia illis verbis *damnat, proscribit*. Quae verba si adhiberentur, ea profecto non Biblia sacra, quod evidenter apparet, sed inconsultam eorum editionem afficerent. Sed de-

creta queis vetatur lectio Bibliorum sacrorum in linguis vernaculis, sine notis ex Patribus aut e Scriptoribus catholicis excerptis, potius quam prohibitiones, leges sunt de Bibliis evulgandis cum praedictis notis, et circa libros ita distinctos ab aliis versantur, ut inepte veluti in exemplum illa adducerentur, cum agitur de prohibitione librorum qui ut noxii a Congregatione Indicis damnantur. Eadem ratione cum auctorum haereticorum libros de Religione tractantes, aut Haeresiarcharum libros omnes, aut operum *periodicorum*, ut sunt ephemerides, *numeros* (ita dicunt) Ecclesia prohibet, qui nondum in lucem prodierunt, in hisce rerum adjunctis aut expresse ratio exprimitur prohibitionis, aut ex natura ipsa rei apparet in ignotum aut nondum existens damnationem haud proferri, sed reapse prohiberi et damnari quod probe ab Ecclesia cognoscitur, nempe *spiritum* malum auctorum, qui cum sit arbor mala aptus est natura sua malos fructus facere. Arcere igitur ab arbore mala fideles, Ecclesiae, maternis visceribus suos filios amplectentis, est: sit quidem per accidens etiam in arbore mala possit esse aliquis fructus, qui sit in arbore mala, sed non ex arbore mala qua mala. Imprudentissimum enim esset permittere ut fideles ab arbore mala fructus decerpant, quia aliquando per accidens in ipsa aliquis fructus esse potest non omnino malus.

Sed praeter hos casus in quibus, ut dixi, aut per regulas generales, aut per adjuncta ex natura rei apparet aliquos libros posse in damnatione comprehendi, qui, absolute mali cum non sint, propter praesumptionem periculi damnantur et prohibentur, liber nullus ab Ecclesia prohibitus invenitur qui falsa non contineat; nullus liber qui alicujus propositionis labe non inficiatur, cui aliqua proscriptionis nota inuri non possit, nempe in quo propositio aliqua non contineatur quae aut haeretica, aut haeresim sapiens, aut erronea, aut male sonans,

aut piarum aurium offensiva, aut scandalosa, aut impia, aut blasphema, aut saltem falsa non sit. Quaecumque autem nota inuratur, certum est illam propositionem, cui aliqua ex praedictis nota inuritur, saltem sub aliqua specie falsam esse; nam propositionem, quae vera absolute et sub omni specie sit, nemo profecto auderet dicere male sonantem, impiam, blasphemam etc. etc.

Quo loco probe notandum propositionem quamcumque, quae ad praxim ordinem dicit, veram aut falsam minime appellari, eo quod in abstracto in aliquibus rerum adjunctis ad praxim sine periculo deduci potuerit aut possit, sed falsam esse et habendam utique, si eo tempore iisque rerum adjunctis laudetur in quibus aut nulli utilitati, aut etiam damno ejus ad praxim deductio esse possit.

Proponamus hic exemplum depromptum a quaestionibus postremis hisce temporibus agitatis de electione ad Beneficia cum cura animarum, et praecipue ad Episcopales Sedes, ad quas juxta ab Ecclesia adoptatam disciplinam in multis Regnis aut Imperiis nominatio spectat ad Regem vel ad Imperatorem. Qui utiliore hic et nunc diceret eam nominandi rationem, in qua populi potissima esset pars, asserens eam apprime congruere moribus Ecclesiae primitivae, et praesentem disciplinam vituperaret, quasi Ecclesia systema adoptaverit libertati ecclesiasticae et recto regimini adversum, is certo falsam sententiam promeret, quia mutatis rerum adjunctis, illam disciplinam, quae in Episcoporum nominatione populi suffragio praecipuam vim tribueret, Ecclesiae non profuturam, sed obfuturam ne unus quidem, nisi coecutiens, est qui non videat. Eo magis porro a veritate aberraret qui per suffragium universale Episcopos eligendos esse assereret, contra quam sententiam, si quis alius, egregie certe disseruit clarissimus Rosmini his verbis: « La democrazia pura, la quale chiama

ciascuno ad influire egualmente col suo voto nelle deliberazioni pubbliche, in parte è fondata sul preteso principio che *tutte le intelligenze sono uguali*. Or questa è una supposizione evidentemente falsa, smentita dalla natura universale delle cose, ed un governo che si fonda sopra un errore di fatto, ha pure in sé un vizio radicale; perocchè egli è impossibile all'uomo di oppugnare artificiosamente la natura, o di fingersi essa natura diversa da quello ch'ella è. Di qui avviene che il governo democratico puro, che sembra in apparenza il governo di tutti, non è mai nel fatto altro, che il governo d'un partito, cioè del partito de' meno intelligenti, essendo certo che i meno intelligenti in qualsivoglia nazione formano la maggioranza. E tutto ciò è pienamente vero, senza contare l'altro inconveniente della democrazia, che la maggioranza dei meno intelligenti che governa, vien facilmente maneggiata a proprio particolar profitto da pochi demagoghi più intelligenti, e più avveduti di essa ». (ROSMINI OPERE, Napoli 1842. FILOSOFIA DELLA POLITICA — Libro II. cap. XVII. *Come il Cristianesimo salvò le Società umane rivolgendosi agli individui e non alle masse* — Nota 2. pag. 195 e seg.) Ex quibus verbis apparet quid juxta praclaudentum Rosminium de doctrinis in suo opere: « *Le cinque Piaghe* » sentendum esset, cum sententiam de se protulisset, et Ecclesiae judicium quodammodo antevertisset sit ipse visus. Eadem dicenda de possessionibus et juribus temporalibus ecclesiasticis, quibus quamvis non abundet, tamen potitur Ecclesia. Concedatur, si aridet, primis Ecclesiae temporibus, pauperes fuisse Episcopos primitivos; quidni? mutatis rerum adjunctis, quamvis homines quacumque re aliquando abutantur, majora sunt commoda, quae Ecclesiae obveniunt ex bonis temporalibus quam incommoda.

Res infiniti temporis esset ea omnia enumerare quae

cum ad praxim ordinem habeant, quamvis sub aliquo respectu vera esse possint, attamen quatenus hic et nunc approbantur, et ad praxim proponuntur, falsa sunt. Alia etiam ratione aliquid falsum esse potest, si ex. gr. abusus qui reapse talis sit ita vituperetur, ut falsa opinio injiciatur vel ita generalem esse ut universae Ecclesiae sit tribuendus, aut ab ea non improbari. Rursus qui id asserit quod in *indebitam* contumeliam coetus alicujus venit, is quidem, quamvis reapse falsum sub omni respectu non asserat, falsitatis tamen argueretur; nam si quis contumelia *indebita* coetum aliquem afficeret, etiamsi coetus lacessitus culpae esset reus, tamen propositio contumeliam ingerens falsum contineret, eo quia cum injuria *indebita* sit, indirecte assereret illum coetum hic et nunc ea dedecoris nota esse mulctandum, quod in *supposito* verum haud foret.

Qui igitur has aut his similes propositiones protulisse convinceretur, hic rite et recte ad retractandum scriptum suum, et ad illud reprobandum merito cogeretur. Sed ut superius dixi, Ecclesia raro prohibet libros qui absolute nihil falsi contineant, et etiam cum id facit, ferit semper aliquid sub aliquo respectu falsum; eo minus vero in illis libris omnia admissim ad veritatis normam congruere existimandum est, in quorum damnatione clausula non addatur, *donec corrigatur, donec expurgetur*; qua semper Ecclesia utitur cum prohibet libros, in quibus bona pars a mala ita separari potest, ut liber innoxius postea habeatur. Observatione dignum est, si agatur de auctore catholico et praecipue doctrinae fama illustri, antequam decretum prohibitionis cui conditio adnexa est, *donec corrigatur, donec expurgetur*, publici juris fiat (nisi aliud rerum adjuncta ferant) commonesieri auctorem, aut ejus legitimum procuratorem; qui si promptum se exhibeat ad corrigenda ea quae notantur tunc non amplius publici juris fit prohibitio. His firmiter

adstructis explodamus futilem distinctionem, quam nonnulli obtruserunt ad incautos irretiendos. Sunt qui catholici haberi specie tenus volunt, libertate tamen sibi adserta quidlibet effutiendi; hi protestantes reapse sunt, nam coram Ecclesia Catholica, in rebus fidei et morum aut in iis quae etiam non recta sed transversa fidem et mores tangunt, libertate quidem fruitur fidelis, sed ita ut omnia quae Ecclesia rejicit, reprobat damnat, proscribit, aut rejiciet, reprobabit, damnabit et proscribet, et ipse rejiciat, reprobet, damnet, proscribat, aut paratus sit prompto animo rejicere, reprobare, damnare et proscribere. Ii igitur cum nullo modo possint profiteri, salva qua tegi volunt catholici veste, se ita animo paratos non esse; ut fucum faciant imperitis, ea opera, libros, scripturas quascumque, quarum sententias quamvis reprobatas tueri volunt, negant in damnatorum operum censum adscribi. Cum vero sedula Romanorum Pontificum cura Index librorum prohibitorum ubique prostet, aequo animo concedunt libros in ipso Indice descriptos esse prohibitos, at clamant minime esse damnatos. Munus enim dicunt damnandi libros non ad Indicis Congregationem spectat, sed ad Sacram Congregationem S. Officii Inquisitionis, cujus est judicare de haeresi; ad Congregationem vero Indicis dumtaxat prohibendi non damnandi libros munus spectat. Hoc inter damnatum prohibitumque libros discrimine statuto via lata patet ad insinuandum virus, quo libri prohibiti inficiuntur. Nulla enim simplex prohibitio notam damnationis, juxta ipsos, libro inurit; malum, si quod malum est, in praedictis aliorum potius quam in libro reperitur. Quid igitur restat? Nudum praeceptum nulli rationi suffultum, a quo extricari aliqua alia distinctiunculo facillime factum iri omnes vident, et jam cum sint (ipsi asserunt) leges inanes fraudibus adversariorum extortae, nil mirum si a quibusdam praesertim non delicatulae admodum conscientiae, sine scrupulo spernantur.

Quis porro non videat quam facile illa subdola distinctiuncula admissa incautus fidelis decipiatur? Privari enim sapientissimis documentis nullo modo damnatis ob simplicem prohibitionem absurdum esse utique existimant et aliis suadere conantur.

Supradieta distinctio inventum nuperrimum est Jansenistarum abhorrens ab usu quem penes si, iudice Horatio, dum agitur de linguis prophanis, est et jus et norma loquendi, eo magis cum de legibus, et declarationibus Ecclesiae, quae tantopere abhorret a novitate. Sed ut quanti sit faciendum novum inventum, quo discrimen interesse in praxi asseritur inter librum prohibitum et damnatum, quomodo de damnatis libris et de prohibitis loquantur magni nominis Theologi audiamus. En Sanctum Alphonsum de Ligorio. — « Quaesio quid ageret auctor si coram (*tractat de Congregatione Indicis*) audiatur? vel diceret se catholicò sensu fuisse locutum: vel opus non esse suum: si primum nihil illi *prodesset ad damnationem operis vitandam*: si secundum neque id *prohibitionem* impedire valebit, cum non auctor damnationi subijciendus sit, sed tantum fideles ab operis lectione removendi sint ». En hic S. Alphonsus agit de prohibitionibus a Sacra Congregatione Indicis pronuntiandis, et promiscue *damnationis* et *prohibitionis*, vocabula adhibet. Clarissimus autem Doctor Gallicus André in suo libro: *Corso di diritto Canonico* haec sapienter habet, quae approbans recitat Clar. Scavini, auctor in enucleanda Morali Theologia omni laude superior. « Quando si dice che un libro è stato posto all'Indice, ciò vuol dire che quel libro è stato *condannato dalla Congregazione dell'Indice* e posto nel novero dei libri proibiti ».

Quamvis haec auctorum testimonia sint tanti ponderis, ut ex ipsis meridiana luce clarius appareat nullum librum prohiberi quin prius damnetur, nam ideo prohibetur, quia damnatione dignus iudicatur, attamen ut penitus prava illa

distiunctiuncula ex animis fidelium evellatur ipsam Ecclesiam nempe Pontifices, ipsamque sacram Congregationem operae pretium erit audire.

Ne longiores simus, unum citabimus Benedictum XIV, qui in ipsa Constitutione praefixa libro Indicis librorum prohibitorum per totam orationem, in qua sapientissimas dictat regulas, promiscue utitur vocabulo *prohibitionis* et *damnationis*. At ipsa Congregatio Indicis sub oculis Summi Pontificis seipsam dicit esse a Sanctissimo Pio Papa IX, Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum *pravae doctrinae* delegatam, et libros quos prohibet, prius dicit semper damnasse et damnare proscrispisse et proscribere. En exemplum in prohibitione 30 Maji anno 1849 facta.

DECRETUM *)

—*—

Feria III. die 30 Maji 1849

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX.
sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae do-

*) Non inopportuno erit hic loci ad ineptas nonnullorum cavillationes refutandas tam de vi hujus decreti, tam de reverentia praestita a clarissimis Viris VENTURA et ROSMINI nonnulla oculis vestris subjungere documenta:

AL REV. PADRE MAESTRO DEL S. PALAZZO APOSTOLICO

Reverendissimo Padre

Ricevo per ora dalla mano del Rever. Padre Boeri il veneratissimo suo foglio dato da Viterbo 12 Agosto corrente, nel quale ella mi significa che, essendosi radunata in Napoli, per espresso comando di Sua Santità, la Sacra Congregazione dell'Indice, di cui è Prefetto l'Eminentissimo

ctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita Neapoli ex speciali ejusdem SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI jussu damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:

Delle cinque Piaghe della Santa Chiesa trattato dedicato al Clero Cattolico etiam con Appendice di due lettere sulla elezione de' Vescovi e Clero e Popolo.

La Costituzione secondo la Giustizia sociale, con una appendice sulla unità d'Italia.

Di Antonio Rosmini Serbati. Decret. 30 Maji 1849. Auctor laudabiliter se subjecit.

Il Gesuita moderno per Vincenzo Gioberti *Decret. eod.*

Discorso funebre pei morti di Vienna recitato il giorno 27 Novembre 1848 nell'insigne Chiesa di S. Andrea della Valle del Rever. P. D. Gioacchino Ventura cum Introduzione e Protesta dell'Autore. *Decret. eod.*

signor Cardinale Brignole questa fu di unanime consentimento, approvato poi dal Santo Padre, che si dovessero proibire le mie due operette aventi per titolo, l'una: *Delle cinque Piaghe della Santa Chiesa*, e l'altra: *La Costituzione secondo la giustizia sociale ecc.*, e in pari tempo m'interpella sulla mia sommissione al relativo decreto, acciocchè possa esserne fatta menzione nel decreto medesimo.

Coi sentimenti pertanto del figliuolo più devoto ed ubbidiente alla Santa Sede, quale per grazia di Dio sono sempre stato di cuore, e me ne sono anche pubblicamente professato, io le dichiaro di sottomettermi alla proibizione delle nominate operette puramente, semplicemente e in ogni miglior modo possibile: pregandola di assicurare di ciò il Santissimo Nostro Padre e la Sacra Congregazione.

Itaque nemo cujuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere aut edita legere, vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA E IX.
*per me infrascriptum de speciali ejusdem Sanctissimi mandato Pro-Secretario relatis, SANCTITAS SUA De-
 cretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum
 fidem etc.*

Datum Cajetae die 6 Junii 1849.

J. A. CABD. BRIGNOLE PRAEFFECTUS

Loco ☩ Sigilli

PETRUS GIANNELLI PRO-SECRET.

*Die 30 Augusti 1849, supradictum Decretum affixum et publicatum fuit
 ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum,
 Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, ac in aliis con-
 suetis Urbis locis per me Aloysium Pitorri apost. Cur.*

Joseph Eberubini Mag. Cura.

Romae 1849.—Ex Typographia rev. Cam. Apost.

Colgo l'occasione di rinnovare a V. P. Rev. i sentimenti della mia
 venerazione, e baciandole devotamente la mano mi onoro di essere

Albano, 15 Agosto 1849

Di V. P. Rev. Umil. Obbl. Servo

A. ROSMINI SERBATI P.

« Con sommo mio dolore mi sono venuti sott'occhio alcuni articoli di
 diversi giornali, nei quali parlandosi della proibizione di due miei opu-
 scoli fatta dalla Sacra Romana Congregazione dell'Indice, si osa di gittare
 alcun biasimo sulla medesima. Essendomi io sottomesso puramente e sem-

Idipsum ratio theologica confirmat, nam si excipias ea rerum adjuncta, quae supra commemoravimus, in quibus diversa forma ab Ecclesia adhibetur ut appareat non librum damnari, sed tantum vetari lectionem in praesumptione generalis periculi, absurdum est eos libros prohiberi, qui nec absolute nec relative noxii sint, libros, qui propositiones omnes contineant quae sub omni respectu veritati adamussim respondeant; magis autem absurdum eo tempore prohiberi innocuos libros, quo monstra errorum indesinentur evomuntur, ita ut non sit bibliotheca, quae indicem noxiorum capere possit, et prohiberi cum tot solemnitatibus, cum tot cautelis, quot sunt praescriptae in libris prohibendis.

A laqueo hujus erroris per Novatores parato liberati videte ne in alterum laqueum offendatis. Falsitatis enim, immo (proh purissima fides Novatorum) haereseos sugillant illos, qui tribuunt Ecclesiae prohibitionem librorum a Congregatione Indicis peractam. Quamvis falsum sit illos, quos erroris insimulant locutos fuisse de aliquo libro per simplex S. Congregationis decretum condemnatum (saepissime enim, ut videbimus, decreta Indicis Congregationis aut jussu speciali Pontificis conduntur, aut ab eo confirmantur et publicari praecipiuntur) tamen demonstrabimus, dum carpere alios volunt, etiam hic

plicemente e con tutto l' interno ed esterno ossequio, a cui è tenuto ogni figliuolo devoto della Chiesa, al decreto della prefata Sacra Congregazione pubblicato; non v'è alcuno che non debba intendere quanto dispiacere mi rechino quelle irriverenti scritture. Tuttavia, reputo conveniente di aggiungere l' espressa dichiarazione che io altamente le riprovo, e non accetto le lodi che mi attribuiscono. Per rispetto poi a certi altri giornalisti, i quali hanno preso a biasimarmi ed anche ad insultarmi, per aver io adempito al mio dovere, sottomettemmi alla detta condanna, quasi avessi commesso un atto di viltà, io non ho a dire altro, se non che essi mi fanno gran compassione, e m'ingenererebbero disprezzo se credessi lecito di disprezzare alcuno.

Di Stresa, a di 17 febbrajo 1850.

A ROSMINI SERRATI »

ipsos ignorantia eaque crassa laborare. Nam earum Congregationum decreta, quae universali Ecclesiae bono providendo ab ipso Pontifice destinantur, quaeque nomine Pontificis damnationes et prohibitiones librorum promulgant, quamvis non dogmaticae per solemnem definitionem in persona Ecclesiae loquantur, Ecclesiae tribuuntur; quae enim per suum procuratorem ad hoc mandato instructum quis facit ipsius sunt et appellantur. Adde Indicem librorum per speciales Bullas aut literas a summis Pontificibus toti orbi catholico indici veluti proprias Pontificum leges, quas faciunt suas generali hac promulgatione, et eorum etiam sunt quia saepissime post singulas Congregationes, habitas in Palatio Apostolico Vaticano, aut semper aut saepissime ab ipsis probantur ut nuper diximus et promulgari praecipiuntur. Quo factum est ut loquendi modi: *liber ab Ecclesia prohibitus, liber in Indicem conjectus* apud omnes Catholicos unius ejusdemque sint significationis. Ex quo rursus sequitur eum, qui se decretis laudabiliter subjicit, quibus opus a se publici juris factum damnatur et prohibetur, ipsum damnare opus suum, et fateri reapse in libro a se composito tantam esse pravarum doctrinarum copiam ut sicut noxius & manibus oculisque fidelium sit arcendus; sit utique verum Auctorem in dictando

Io sottoscritto, saputo, solamente da oggi, per mezzo del *Giornale Romano*, che la mia *Orazione pei morti di Vienna*, recitata e stampata a Roma nel cadere di novembre 1848, era stata, per decreto della Sacra Congregazione dell' *Indice*, annoverata fra i libri proibiti:

Non ignorando ciò che in circostanze simili la Chiesa ha diritto di richiedere da un suo figliuolo docile e devoto, e massimo se ecclesiastico; e deliberato di confermarmici pienamente:

Credendomi, in coscienza, tenuto in faccia alle anime che io ho diretto, del popolo al quale ho spiegato gli Evangelii, di dare a loro l'esempio dell' assoluta adesione che si dee ai giudizi della Santa Sede Apostolica, e che io ho loro costantemente insegnato colle mie parole:

Avendo protestato e dichiarato sempre di voler sottomettere al giudizio

alia intellexisse a sensu, qui ab auctore intentus apparet in libro; quod accidere posse propter linguae hominum imperfectionem, nemo inficiabitur; ac proinde is, qui se animo sincero damnationis Decreto subijcit, amplius ut suos agnoscere illos conceptus non potest, sive quia absolute falsi sunt, sive quia id quod verum abstracte est offerunt veluti hic et nunc executioni mandandum, et in illis rerum adjunctis id quod in abstracto et speculative est verum, in praxi falsum habendum est.

At Ecclesia, ajunt, est infallibilis, minime vero S. Congregatio Indicis; qui igitur Decreta S. Congregationis Indicis Ecclesiae tribuit, is Ecclesiam fallibilem facit, ac proinde haereseos convincitur.

Si nugis quis delectari velit, demus (quamvis non laudabiliter, nam res sacrae et Ecclesiasticae id sibi requirunt ut serio tractentur) et his sophismatibus joculari posse. Sed vos, dilectissimi in Christo filii, si quem ex laicis ignarum oeconomia ecclesiasticae inveneritis, eum docete Ecclesiam, dum omnibus suis Decretis reverentiam eamque non oris sed et cordis exhibendam praecipit, minime velle eodem obsequio nos prosequi ea quae immediate ab ipsa procedunt, ut cum Pontifex ex cathedra loquitur, aut Concilium oecumenicum

della detta Santa Chiesa e del Sommo Pontefice tutte le mie azioni; e a questo proposito avendo io contratto un solenne obbligo verso il pubblico cristiano di provargli col fatti in simile circostanza la lealtà delle mie dichiarazioni e proteste e la volontà sincera di porle in pratica, dalla quale lo era animato sul punto ch'io mi toglieva questo dovere:

Senza esservi nè costretto, nè consigliato da chiesa, non dando ascolto che ai sentimenti di un vero cattolico, da' quali merè la misericordia divina non si è mai allontanato il cuor mio;

Liberamente, e di mio moto spontaneo dichiaro che io intendo di accettare, come di fatto io accetto, il nominato decreto di condanna dell'opuscolo mio ricordato; e che io medesimo lo condanno senza restrizioni, nè riserve, anzi in tutta la estensione del senso in cui l'autorità legittima lo ha condannato.

aliquid definit; et ea quae mediate ab ipsa emanant per Tribunalia et Congregationes, quibus universalem jurisdictionem mandat: Ecclesiae quidem Decreta omnia sunt, sed non eodem modo. Dum enim per Pontificem loquentem ex Cathedra, annuentibus Episcopis per Orbem dispersis aut per Concilium Oecumenicum veluti haereticas damnat propositiones aliquas, qui reluctaretur haereticus statim haberetur; qui aliquam aliam propositionem veluti scandalosam, piarum aurium offensivam etc. a Pontificibus ex Cathedra vel a Concilio Oecumenico damnatam sustineret; aut qui librum, in quo falsa contineri declaraverit Summus Pontifex, nulla censura dignum diceret, is non solum temerarius sed et suspectus de haeresi haberetur, aut etiam aliquando haeretici notam incurreret; quippe etiam in his infallibilitate gaudent Pontifices et Concilia Oecumenica, quae ex parte enucleavi in iis litteris, quas, ineunte anno, Dioeceseos Calendario inserui. Qui autem S. Congregationis (per quam mediate Ecclesia libros reprobat, damnat et proscribit) Decreta quae speciali approbatione Pontificis non décorantur impugnaret, ad minus temerarius habendus esset, quamquam, pro rerum adjunctis, aliis gravissimis notis etiam signari posset. Demus enim, speculative loquendo, fieri posse ut liber immerito a S. Congregatione Indicis (si Decré-

Riprovo ancora, rigetto e condanno, insieme ed isolatamente le dottrine, le massime, le espressioni e le parole che trovansi in esso libro o in altro qualunque mio scritto, o che potrebbero esservi trovati in seguito, in contraddizione alle dottrine della Santa Chiesa Cattolica Apostolica e Romana che è la sola vera.

Da ultimo io protesto che in questa Chiesa, in cui io sono nato e vissuto, intendo e spero di morire, coll'ajuto di Dio a costo di qualunque affanno e Sacrificio.

Montpellier, 8 Settembre 1849

Io don GIOACCHINO VENTURA dell'Ordine dei Teatini
attesto protesto e dichiaro quanto sopra ecc.

tum specialiter non fuerit approbatum a Pontifice) in catalogum prohibitorum inseratur, attamen id asserere de aliquo libro determinato intolerabilis arrogantiae indicium esset; nam qui sic ageret, hic et nunc suum iudicium praeponeret iudicio nedum sapientissimorum hominum, quibus Ecclesia munus demandat libros noxios damnandi, sed et Spiritus Sancti ad-sistentiae injuriam faceret. Ad-sistentia enim Spiritus Sancti, dum agitur de iudicio doctrinae, Magistratibus, qui Ecclesiae vices gerunt, denegari non potest. Concedamus utique necessarium haud esse ad obtinendum Ecclesiae scopum infallibilitate absoluta donari omnia Decreta S. Indicis Congregationis, attamen vulnus non parvum acciperet auctoritas, si a privato homine erroris posset insimulari. Nam ad-sistentia specialis Spiritus Sancti deesse non potest Magistratibus Ecclesiae in Decretis, quae ad doctrinam sartam tectam servandam per totam Ecclesiam promulgantur, et proinde, quoad ipsa singula Decreta etiam a Pontifice non confirmata, praesumptio veritatis juris ita violenta, quamvis non juris et de jure, exurgit, ut temerarius habendus sit qui contrarium effutiret. Scitis probe, dilectissimi, praesumptionem juris tunc adesse, cum pro aliqua sententia ea militant rationum momenta, quae aut ex natura rei vel ex legum dispositione eam veram esse suadent, et veluti

EXCERPTUM E LITTERIS A SUMMO PONTIFICE AD R. P. VENTURA DATIS

« Diletto figlio, religioso, salute e benedizione Apostolica. »

« Il nostro cuore paterno ha provato un vero piacere della dichiarazione pubblica che avete stampata e sparsa l'otto Settembre a Montpellier, e colla quale vi siete sottomesso al decreto della Sacra Congregazione dell'Indice rivestita del Giudizio della Nostra Autorità ».

Dato a Napoli nel sobborgo di Portici il 6 Ottobre 1849, il quarto anno del nostro Pontificato.

PIO PAPA IX:

veram habendam, donec contrarium clare demonstratur per argumenta, quae laudata illa momenta omni vi destituant; praesumptionem vero juris et de jure haberi cum momenta pro aliqua sententia talia sunt, ut nulla pateat via ad illa infirmanda, ita ut pro vera sententia, amota contradictione, sit habenda. Cum autem dixi *quavis non juris et de jure* absit ut existimem posse tolli praesumptionem juris, quoad Decreta Congregationis Iudicis, argumentis contrariis a privatis hominibus, sed non absolute repugnare id fieri posse per Summos Pontifices; uno verbo, si dicantur absolute reformabilia id non inficior; at reformabilia per Summos tantum Pontifices defendo, ante quorum aut Concilii Oecumenici iudicium Fideles externo et interno obsequio ea Decreta prosequi debent. Quod si addas Decretum directum ad totam Ecclesiam, praesente et tacente Pontifice, a tota Ecclesia probari saltem silentio, tunc in immensum crescit obligatio non tantum extrinseci sed et interni obsequii; quam extrinsecam enim reverentiam requirunt Magistratus civiles in suis legibus, potiori jure Ecclesia nedum externam sed internam requirit; nam alias suo effectu Decreta ipsa frustrarentur, quae non externam tantum tranquillitatem ut Decreta civilis Societatis, sed praecipue quietem animi respiciunt.

Quod ut clarius appareat scopum inspiciamus cur a Pontificibus Summis libri per S. Congregationem condemnentur. Clare enunciat suum finem ipsa Sacra Congregatio Iudicis, dum se ad noxios et praeavos libros in universa Republica Christiana damnandos et proscribendos deputatam asserit. Quae Congregatio si de facto erraret, dum veluti noxios libros prohiberet, qui tales revera non essent, multa absurda sequerentur. Nam cum ex complexu librorum, qui in Iudicem referuntur, appareat manifeste, quae sit doctrina, quae reprobat (per continuam enim librorum prohibitionem, qui ean-

dem doctrinam adstruunt doctrinae in ipsis enunciatae nota aliqua inuritur damnationis); si S. Congregatio saepe erret in prohibitione, doctrina innocua falsa traducitur et falsa per Magistratum qui legitime reverentiam, per totam Ecclesiam requirit; at hoc modo pedetentim in totam Ecclesiam error induceretur, quod impossibile est. Quamquam ex hoc deduci rigore haud possit infallibilitate donari singula Decreta, attamen praesumptio illa confirmatur de qua supra diximus; praesumptio illa, quae temerarium facit contradictorem in casibus, ut ajunt, particularibus. Aliud enim est dicere absolute certum, ea certitudine cui falsum subesse non possit, non esse quodlibet S. Congregationis Decretum; aliud, in casu particulari, hoc vel illud Decretum falsum, aut iniquum dicere. Propositio generalis tolerari potest, quia non tollit praesumptionem, quae in singulis casibus necessario admittenda est ut a Magistratu universalis Ecclesiae fructus obtineatur, quem in sua institutione Ecclesia assequi vult; impugnatio vero in casu speciali ut temeraria est vituperanda. Multa enim sunt quae speculative tantum asserta aut reapse defendi, aut tolerari possunt, quae si ad praxim dirigantur, vel in casibus particularibus ad praxim deducantur, censura, eaque aliquando gravi, notantur. Ut aliquo exemplo rem hanc confirmemus notum est juxta sententiam, quam Gallicanam appellabant, infallibile minime esse iudicium prolatum ex Cathedra a Romano Pontifice, ante Ecclesiae consensum. Quamquam Romani Pontifices intra eos moderationis limites se continuerint, ut non singulas propositiones a Clero Gallicano prolatas aliqua nota Theologica inusserint, sed tantum declarationem ipsam continentem quatuor propositiones reprobaverint, ut reprobarunt adoptionem ejusdem declarationis factam a Conciliabulo Pistoriensi; quamvis satis explicitè distinxerint damnationem errorum in fide ab improbatione Declarationis Gallicanae, attamen in casibus specialibus obe-

dientiam *inconditionatam* suis Bullis dogmaticis adhibendam mandarunt et eos qui ipsis contradixissent ab Ecclesia Dei extorres declarare paratos fuisse constat. Quae quidem ita a me dicta sint volo, non ut aliquo modo definitiones ex Cathedra in rebus Fidei aequiparem Decretis Sacrae Congregationis, quae absque speciali Pontificis approbatione in Indice promulgantur (nam infallibilitas Pontificis ex Cathedra loquentis etiam ante Ecclesiae consensum ita theologice certa est, ut luce clarius demonstrari possit; dum non eodem certe pondere argumentorum infallibilitatem probari posse Congregationis Indicis in illis Decretis, quae specialiter a Pontifice non sunt approbata, ultro fatendum est); sed ita adstruxi ut confirmetur aliqua in abstracto sine periculo defendi posse, quae si ad casum specialem applicentur temerarie ageretur. Quod si haec de dispositione animi intelligenda sunt, quante magis si quis, ex eo quod absoluta infallibilitate non pollet S. Congregatio, in aliquo casu speciali palam falsitatis arguere vellet iudicium ab ipsa prolatum?

Rursus demus etiam falli posse Sacram Congregationem Indicis in perstringendo censura aliquem librum; a posse ad esse non valet illatio, ac proinde tu qui nullo munere fungeris in Ecclesia, quod superius sit munere S. Congregationis, quomodo tibi arrogas iudicium de existentia erroris usquedum a Summo Pontifice vel a Concilio Oecumenico aliud non determinetur? nam super Indicis Congregationem non exercet imperium nisi summa Ecclesiae auctoritas ac proinde, donec haec suprema auctoritas aliud decernat, reprobandus est ille liber, qui ut reprobandus in Indicem librorum prohibitorum per Sacram Indicis Congregationem est amandatus.

Non autem a paritate quarumdam aliarum Congregationum auctoritas Congregationis Indicis est desumenda; Congregationes enim quae pro objecto habent totam Ecclesiam

et totius Ecclesiae doctrinam et quae ab Ecclesia potestatem accipiunt ut in omnes fideles quoad doctrinam auctoritatem exercent, participant de privilegiis Ecclesiae non absolute sed aliquatenus; eo ut scopus ab Ecclesia intentus obtineatur. At inutile non erit ex facto ipso trium circiter saeculorum, qua reverentia digna sint Decreta S. Congregationis, argumentari. Innumera sunt Decreta, quae tribus his saeculis prodierunt, attamen quicumque fuerit furor, quo in odiosissimum, tam Haereticis tam non bonis Catholicis, tribunal censurae librorum destinatum debacchati sunt, nullum iudicium adversarii potuerunt invenire, quod ad veritatis normam exactum non dicam defendi potuerit, sed potius laude dignum non fuerit; quod est infallibilitate si non juris saltem facti pollere. Qua laude vero sit exornandum acumen S. Congregationis in libris prohibendis auctorem servilitatis certe haud suspectum audiamus. En Vincentium illum Gioberti, qui postea passionibus abreptus in se ipsum sententiam sequentibus verbis protulit: « Egli è singolare che la prima censura autorevole della Filosofia del Des Cartes sia uscita dalla Congregazione dell'Indice; il cui Decreto contro le opere di quello, è dei 20 di Novembre del 1663. Il Thomas colla sua solita perspicacia si maraviglia di questo Decreto; e il Baillet lo attribuisce agli intrighi di un privato. Io vorrei pure maravigliarmene se Roma non avesse fatto prova in cento altre circostanze di una sagacità incomparabile a penetrare addentro nelle dottrine e scoprire nei principii le ultime conseguenze sfuggite all'occhio di tutti i coetanei.... Oso dire, che niun Maestrato scientifico o religioso ha giammai avuto, per così dire, un senso ideale e cattolico, e una facoltà divinatoria dei corollarii chiusi nel germe di una dottrina, così squisita, come quella, che risplende in molti dei loro giudizi. Mentre uomini piissimi, e tanto celebri per dottrina quanto per ingegno, sedotti da

un falso sembiante salutarono il nascente Cartesianismo, come un sistema favorevole alla religione, senza avvisare i semi funesti che vi si occultavano, i romani Censori n'ebbero il presentimento, e pronunziarono una sentenza che la Filosofia europea da due secoli ha tolto a confermare nel modo più illustre colle sue proprie opere. »

Sed qua reverentia Ecclesiae filius Decreta S. Congregationis Indicis debeat suspicere apparet luculenter ex illis, quae frequenter in Indice leguntur, auctorum declarationibus: *Auctor laudabiliter se subiecit aut opus reprobavit. Hae declarationes sub oculis ipsorum Pontificum eduntur et eorum jussu publicantur; Ecclesia ipsa per Orbem dispersa auctores commendat, qui hanc rationem ineunt; immo apud Catholicos male audit qui eorum exemplum non sectatur. At clarum est non ideo saepissime auctores suos libros damnare et reprobare, quia erroribus scaterere per suum judicium privatum librum fateantur, sed quia reverentia ducuntur erga S. Congregationem, et praesumunt adistentia Spiritus Sancti ipsam non destitui in re tanti momenti; ac proinde veram ejus sententiam existimant. Ecclesiae enim sensus, quo laudabilis habetur actus subjectio- nis, quem exercet auctor libri damnati, argumentum ineluctabile praebet rationabile esse hoc obsequium; quod revera rationabile non esset, si praesumptio veritatis non faveret Decretis Congregationis Indicis.*

Sed nil mirum si plerique hic me incaute forsitan haec protulisse credant, quasi ex animo mihi exciderit prohibitio ab Ecclesia facta librorum, qui systema, ut dicunt, Copernicanum tuebantur et inter illos libri inscripti « *Il Dialogo di Galileo Galilei*; » et quasi ignorem Congregationes Romanas in Galileum Galilei ipsum invectas fuisse, quod continuo exprobatum a nonnullis Catholicis matri Ecclesiae; a filiis nempe tenerrimis, qui tam sollicitos se de materno honore demonstrant.

At si filii matris meae pugnauerunt non solum contra me, sed contra matrem ipsam, non defuere doctrina excellentes et animo aequo praediti Protestantes, qui Ecclesiam Catholicam a nota per falsos catholicos illi iniusta liberarunt, et ad aequitatis normam omnia peracta fuisse in iudicio de Galileo Galilei operibus, deque ipso Galileo, aperte et strenue propugnarunt. En Wolfii praestantissimi philosophi verba, quae pudori, si pudoris sunt capaces, esse deberent illis catholicis, qui temerario ausu Ecclesiae tribunalium decreta iniustitiae, et falsitatis insimulare audent (Wolfius in discursu Praelim. De Philosophia in genere cap. VI. N. 468 in Adnot.) « Nemo
 « ignorat usque ad Copernici tempora unanimiter et postea
 « a plerisque, ipso quoque Tycho de Brahe, loca Scripturae
 « de motu Solis ita fuisse accepta ac si sensus litteralis motui
 « Solis diurno faveret. Recepta igitur Scripturae interpretatione
 « statuebatur Terram quiescere in centro Universi, Galilens
 « autem cum Copernico defendebat, Terram et motu vertiginis
 « circa proprium axem, et motu translationis circa Solem mo-
 « veri; consequenter non Terram, sed Solem in centro Uni-
 « versi quiescere. Patebat igitur contradictio inter assertum
 « Galilei et receptam Scripturae Sacrae interpretationem. A-
 « gnovit tamen Curia Romana nondum inde sequi hypothe-
 « sim Terrae motae esse falsam, etenim P. Fabri e Societate
 « Jesu Poenitentiarius Romae ad S. Petrum Rescripto, quod
 « legitur in Transactionibus Anglicanis an. 1665 mense Junio,
 « declaravit: si quando Copernicani motum Telluris firmiter
 « demonstraverint, illam ei non adversaturam; cum propter
 « scandalum, tanquam veritatem, eandem proponi non per-
 « mittatur. Nimirum aut a recepta Scripturae interpretatione
 « in gratiam hypotheseos Terrae motae est recedendum; aut
 « eadem est retinenda. In utroque casu non evitabitur scan-
 « dalum iudicio Fabriano. Etenim si recepta scripturae inter-

« pretatio retinetur, et tamen defendi permittatur motus Telluris
« tamquam verus, fieri potest ut hinc aliqui colligant Scriptu-
« ram Sacram docere, quae veritati consentanea non sunt....
« Quod si a recepta Scripturae interpretatione in gratiam hy-
« potheseos, quae nondum demonstrata est, recedatur, non
« modo periculum est ne forsitan in posterum hypothesis repe-
« riatur falsa; sed et parum conveniens est in casu inevidentiae
« Theologum cedere Philosopho: immo utroque in casu denuo
« consequentiae fluunt Religioni parum respondententes.... Et ita
« non absque ratione scandalum visum fuit Poenitentiario lau-
« dato receptae Scripturae interpretationi nuntium mittere in
« gratiam hypotheseos philosophicae. Quamvis autem Curia Ro-
« mana nolit, ne scandalum creetur, ut motus Telluris defen-
« datur, tamquam verus, antequam demonstretur; non tamen
« ideo prohibuit eodem uti tanquam hypothesi in computandis
« motibus coelestibus et reddendis Phaenomenorum rationibus.
« Etenim ipse Ricciolus eodem motu tanquam hypothesi usus
« est; immo cum Cassinus Junior Astronomus Academiae
« Regiae scientiarum Parisinae in Commentariis istius Acade-
« miae an. 1717 adduxerit observationes de parallaxi fixarum
« ad hypothesim istam demonstrandam, ipso facto patet licere
« in Ecclesia Romana inquirere in veritatem hypotheseos, quae
« receptae Scripturae interpretationi adversatur. »

Eodem temperato ad aequitatis leges modo loquitur de ju-
dicio in opera et personam Galilei, addictus et ipse Protestanticae
Sectae, M. Holbae in secunda parte capituli noni reflexionum
super naturae systemate. Ipse ego viginti septem abhinc annis
librum edidi cui titulus: *Spirito Religioso di Galileo Galilei*,
in cujus libri altera parte illud, argumentis ineluctabilibus, de-
monstrandum suscepi, Sacram Congregationem ita egisse tum
quoad prohibitionem libri *Il Dialogo* tum in sententia, qua
Galileum Galilei damnavit, ut veritatis, justitiae, aequitatis et

mitissimae agendi rationis luculentissimum exemplum dederit. Quae porro non ideo a me adducuntur, ut aliqua in laude illam elucubrationem a vobis velim haberi, sed ut pateat non haec a me vobis praedicari quod sic ferat occasio, quasi id requirat nuperrimos S. Congregationis osiores refutandi necessitas, sed quia veritati conformia esse viginti septem abhinc annis cognovi. Tantum abest, dilectissimi filii, ut Ecclesia quaestionibus physicis et astronomicis se implicet, quin potius plena libertate omnes frui vult; immo Ipsa severis poenis coercet illos, qui hanc libertatem aliis praeripere vellent, et censura perstringere libros aut physicos, aut astronomicos, aut physiologicos, aut historicos, aut de medicina tractantes, eo quod hanc vel illam propositionem contineant, quae contradictori non arridet; immo cum aliquando nova aliqua doctrina de quacumque scientia in lucem prodit, quae ut suspecta traducitur et a qua indirecte Religionis dictata et Sacrorum Biblicorum veritas laesa dicitur, absit ut eam Ecclesia statim reprobet, aut damnet libros in quibus nova ea doctrina continetur. Ipsa prudentissime expectat ut veritas clarius elucescat; et tum demum prohibet, cum evidens est sine Fidei aliqua laesione sustineri non posse novam doctrinam; sed in hoc sic prudentissime agit, ut in nova doctrina nihil aliud reprobet, nisi illud quod absolute cum doctrina catholica conciliari non potest. At contra si, ut nova aliqua doctrina geologica, aut aliquod systema physicum concilientur cum Sacra Scriptura, tribuendus sit ipsi S. Scripturae sensus absonus ab assueta interpretandi ratione in rebus nec ad Fidem, nec ad mores pertinentibus, Ecclesia non solum non abnuit, sed permittit, dummodo necessariae cautela adhibeantur, ne scandalum nova interpretatio in fidelibus gignat. Sed ut dixi Ecclesia, dum hac mitissima et ad sapientis tolerantiae leges agendi ratione deducta, reginae virtutum nempe Prudentiae obsequitur, auctorum praecipitantiam mo-

deratur, qui vix ac aliquod systema probabile esse conijciunt statim vellent in interpretatione, S. Scripturae recedendum esse a vulgari interpretatione usque ad illum diem ab auctoribus ecclesiasticis adhibita, quin prius possint demonstrare veritatem novi systematis. Illud ex hac auctorum immoderantia oritur aliquando ut populus, qui interpretationi vulgari assuevit, cum ei veluti verum systema obtruditur, quod illi contradicit, existimet aut falsa in S. Bibliis contineri, aut passim permitti sententias, quae veritati adversantur a Deo revelatae, quorum postremum scandali occasionem praestat, primum, quod pejus est, incredulitatem gignit.

His praestitutis, quamvis possem rationes a me iu praedicto libro enucleatas huc referre, paucis tamen tunc expediam. Duo in Galilei Galileo negotio distinguenda sunt tempora. Primum fuit anno 1616, quum libri, quibus Copernicana hypothesis, veluti veritas certa, seu veluti thesis defendebatur, in Indice librorum prohibitorum sunt descripti, et Galileus Galilei, remota omni Judicii solemnitate, ex qua incommodum aut dedecus famae illius potuisset derivari, admonitus fuit, ne amplius in posterum librum aliquem evulgaret in quo Tellurem circa Solem moveri assereret, quod ille scripto pollicitus est. Alterum fuit anno 1632 quum liber *Il dialogo di Galileo* typis editus est Romae, permittente Magistro S. Palatii, cui Galileus minime patefecerat praeceptum, quo obstringebatur, fidemque datam fregit; quod in causa fuit cur S. Congregatio Inquisitionis tum in librum, tum in ipsum Galileum decreta ediderit. Sive unum sive aliud spectes, nihil prorsus actum est in hoc negotio ab Ecclesiae Magistratibus, ex quo osores S. Congregationum Inquisitionis aut Indicis pro sua causa concludere possint. Si primum tempus spectes, verum quidem est a duobus Qualificatoribus (sic dicunt) S. Officii propositionem de motu Terrae declaratam fuisse contrariam Scripturae,

scilicet interpretationi quae vulgo obtinebat in re nec ad Fidem nec ad mores pertinente; at nemo unquam asseruit auctoritatem aut Pontificis Summi, aut saltem S. Congregationis inesse Qualificatoribus S. Inquisitionis. Subsidia sunt haec quibus Magistratus utuntur; auctoritas in Magistratu, scilicet in illis declarationibus quas edit, tota est. Ut S. Congregatio, cui tutela integritatis fidei demandata est, jure vetaret defendi veluti thesim hypothesis illam, quae juxta vulgarem interpretationem contraria Scripturae habebatur, satis erat duos Qualificatores ad hoc deputatos, qui assidue pro muneris sui ratione in dijudicandis libris versabantur, contrariam eam hypothesis vulgari Scripturae interpretationi existimasse. Adamus hoc congruit cum iis principiis, quibus adductus ipse Wolfius ad aequitatis leges omnia peracta fuisse asseruit.

Libri qui eo tempore motum Terrae, veluti thesim, tuebantur, falsam propositionem continebant; nam falsum erat eo tempore illam sententiam argumentis demonstrativis innixam, fuisse. Si progressu scientiarum ea quae simplex erat hypothesis demonstrationis firmitatem est assequuta, id magno est Ecclesiae decori, si consideremus, in re, quae ad scientias profanas directe pertinet, adsistentiam illam generalem Spiritus Sancti, quae Magistratibus Ecclesiae deesse non potest, plus ad judicandum recte de argumentorum pondere valuisse, quam scientiam insignioris inter philosophos saeculi decimi septimi, qui veluti doctrinae prodigium etiam a posteris merito habitus est et habetur.— Certum est enim Galileum amoris hypotheseos, in quam sua studia contulerat, plus aequo ita indulsisse, ut falso existimaret argumenta quae illi favebant demonstrationis dignitate potiri, cum consensu Sapientium nunc constet inter probabilitatis limites tantum substituisse; iis vero quae specie tenus vim demonstrationis simulabant, quaeque in quarto libro operis *Il dialogo* enucleantur, plus elegantiae

quam soliditatis inesse; cum ex theoria fluxus maris explicata, juxta rationem philosophandi a Galileo in laudato libro adhibitam, minime necessitas motus Telluris circa Solem rite deduci possit. De hoc autem Galileum viri ecclesiastici, quorum auctoritas Romae erat maxima, admonebant. Cur Theologis, aiebant, recedendum a vulgari Scripturae interpretatione ut simplici hypothese, quae probabilitatem non excedit, quamque cras validiora argumenta possent explodere, assensum praebant? Vim hujus prudentissimae sententiae inficiari haud poterat Galileus, at errore deceptus demonstrationis pondus suis argumentis tribuebat; in quo ut diximus Magistratus Ecclesiasticus verum, philosophus insignis falsum proferebat. Quae omnia non ex imaginationis pennis, sed ex authenticis documentis derivantur. Anno autem 1652 in Galileum violatae fidei insimulati ita actum est ad justitiae et aequitatis normas, et adeo miti agendi ratione, ut nullus carpendi dari queat locus. Omnia sive interrogationes sive responsa ad haec duo reduci possunt;

I.^o Prohibuit ne tibi, o Galilee, anno 1616 S. Congregatio Inquisitionis, quominus libros ederes de motu Telluris?

II.^o Patefecisti ne prohibitionem Magistro S. Palatii?

Ad quae, quid aliud reponere potuit Galileus, nisi se reapse praeceptum a Magistratu legitimo datum transgressum fuisse? quid nisi se in fraudem silentio pressisse praeceptum datum a Magistro S. Palatii, qui minime alias potuisset facultatem praebere typis edendi librum *Il Dialogo*, obstantibus jussis Magistratus, qui non solum superior erat ipso Magistro, sed per totam, qua late patet, Christianam Rempublicam jurisdictionem nomine Pontificis exercebat?

Si disciplinae Ecclesiasticae observantiae providendum erat, sententia in Galileum debebat proferri; quae sententia consona plane fuit agendi rationi in processu adhibitae. Mitissima fuit poena, et sic temperata ut honorari potius quam puniri Galileus

videretur, quod et ipse fassus est. Haec breviter disseruisse juvat ad nebulas effugandas, quibus infuscare Novatores veritatem saeperunt; qui plura cupit, vel libellum supradictum, vel alios laudatos libros, qui ex professo de hac re pertractarunt, consulat.

De prohibitionibus hucusque verba fecimus quae a S. Congregatione Indicis emanant, vi mandati generalis Ipsi datum a Summis Pontificibus per totam, qua late patet, Christianam Rempublicam Pontificis Summi vice pravae doctrinae libros damnandi proscribendi et prohibendi, sed praecise de prohibitionibus locuti sumus, quibus non accessit pondus Pontificiae sanctionis. Quid porro dicemus si paratum decretum subjiciatur ipsi Romano Pontifici, qui illud approbet et publicari praecipiat? Planum est Pontificem, qui decretum a S. Congregatione emanatum toti Orbi catholico proponendum approbat, per seipsum ad totam Ecclesiam verba dirigere ac proinde ex cathedra loqui. Quid igitur si quis a Pontifice librum dixerit immerito damnatum? Non patet illum Pontificiam auctoritatem recta impugnari? Nonne in libris damnandis infallibilis est Ecclesia, et si Ecclesia cur non Pontifex qui Ecclesiam ipsam repraesentat, cum vices Christi gerat? Quid amplius requiritur ut praerogativa infallibilitatis gaudeat Pontifex? Num prudentissimus usus in consilium adhibendi Cardinales, aliisque subsidiis veritatem investigandi infallibilitatem tollit? Majoris ponderis erit Decretum (quod sic intelligi volo non quoad intrinsecam auctoritatem, sed tantum eo quod paucioribus et infirmioribus cavillationibus subjacet), si jussu speciali Pontificis habetur Congregatio et fertur Decretum, ab illoque deinde adprobatur et confirmatur. Hoc postremum obtinuit in superius laudato Decreto 30 Maji 1849 ut videtur ex illis verbis «habita Neapoli ex speciali ejusdem Sanctissimi Domini nostri jussu damnat» nam verba «jussu speciali» aequae afficiunt tam vocem

habita quam subsequenter verba *damnat etc.*, quae intelligendi ratio consona est ipsius Pii Papae IX. verbis, qui dixit Congregationem: « *rivestita del Giudizio della Nostra Suprema Autorità* ».

Ex quo patet quanta sit nonnullorum scriptorum, qui ephemerides conscribunt, sapientia, dum se magistros Episcoporum jactant, et ex tripode oracula pronuntiant, ignorantiae crassae illudentes Pastorum Ecclesiae: quod faciunt incredibili arrogancia, quae nulli alii comparari potest quam insipientiae nonnullorum catholicorum, qui se tam exiguis armis aut vinci, aut si non vinci saltem a veritatis tramite aliquantulum deturbari sinunt. Proh pudor! Episcopus, quem Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, documenta salutis praebet et hoc muneris sui pars est; ephemeridum auctor de rebus sacris non loquitur, sed blaterat; poterit igitur sanae mentis et praecipue sani cordis catholicus dubius haerere? Episcopus ab Ecclesia damnatum opus asserit, et asserit deliberato animo, et Catholicus ephemeridis auctori potius fidem accomodabit, qui distinctiuncula aliqua inter damnatum prohibitumque librum utitur, et prohibitum tantum existimabit?

Ex dictis apparet nihil magis odio esse illis, qui nova in Religione et Societate moliuntur, quam tribunal quodcumque, cujus sit censura perstringere pravos libros qui indesinenter eduntur. Nil intentatum relinquunt, ut vim Decretorum infringant; nunc ajunt ad Congregationem Indicis prohibendi officium dumtaxat spectare, illud vero damnandi tantum ad S. Inquisitionis Congregationem; nunc dicunt falso Ecclesiae tribui quod a S. Congregatione peragitur.

Ast cum omnia haec tela praevideantur ad irritum cadere, saltem Episcopis nullum jus libros damnandi competere effutiunt; judicem enim praesentem verentur. Denegata igitur Congregationi Inquisitionis et Indicis prerogativa ea qua Ec-

clesiae, cujus mandato damnant proscribunt et prohibent libros, vices gerunt; ne facto quidem verbo de Decretis quae, quamvis a Congregationibus edantur, auctoritate ipsius Pontificis decorantur; negata Congregationi Indicis facultate libros damnandi; Episcopis non solum damnandi, sed ne prohibendi quidem jus ullum esse asserunt. Quinam Vos, audacter ajunt Episcopis, qui jura Congregationis Indicis invaditis? En jurium Romanarum Congregationum assertores! Novus est hic error, a quo, dilectissimi, caveatis oportet; error ad quem refutandum, qui elementa Juris Canonici primoribus tantum labiis delibaverit, arma in promptu habet. Sed quid mirum opera osorum Ecclesiasticae Auctoritatis puerilibus erroribus scaterere? Nonne in luce Italiae Canonista ille, quem ut novum doctorem ad illustrandas mentes missum Novitatum amatores extollebant, risum excitavit discipulorum primi curriculi Studiorum Theologicorum, dum inepte S. Bernardum, qui saeculo XII vixit, epistolare commercium cum Eugenio IV, qui saeculo XV sedit, habuisse asseruit, et cum ait S. Bernardum Eugenio IV exprobrasse, quod Constantiense Concilium non acceptaret, Concilium nempe celebratum tribus post S. Doctorem saeculis? Qui putidi errores ignorantiae crassae tribuendi aliis accedunt quibus demonstratur *Aquilam inter Canonistas* celeberrimum Nuyts, qui Ecclesiam illustrare satagit, inter discipulos negligentiae et progressus exigui notam reportantes esse amandandum.

Quid mirum igitur si nonnulli Ephemeridum auctores, et illa superius memorata effutierint? At vos, dilectissimi, scire debetis, Episcopali muneri plane connexum esse jus arcendi gregem a venenatis pascuis, quod si de Ecclesia universali diximus, obtinet etiam quoad Episcopos in partem sollicitudinis adscitos; illud porro jus intra aliquos limites coarctare, summa solum Ecclesiae Auctoritas posset. Sed tantum abest ut Ecclesia hanc facultatem coerceat, ut potius

ad illam exercendam efficacibus verbis hortetur et jubeat. En regulam X^{am} Indicis: *Liberum sit Episcopis.... eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur proscribere, si hoc in suis Dioecesibus expedire judicaverint. Et Leo XII^{us} in suo mandato addito Decreto S. Congregationis 26 Martii 1825 jussit ut omnes Episcopi propria auctoritate pravae libros studeant e manibus fidelium evellere.*

Quae cum ita sint nullus amplius locus relinqui videretur sophismatibus Novatorum. At veritatis nota est unam esse, erroris nota esse multiplicem, ac proinde una in unaquaque re sententia vera est, quique debacchantur in eam multimode ipsam aggrediuntur. Dum spes Novatoribus affulget incautos sub pelle ovium, scilicet catholicorum, decipiendi, tribunal Ecclesiae suspicere simulant; at cum se demum ab hac arce deturbari praevideant alia atque alia parant arma, ad alia castra se transferunt, nova scilicet argumenta contra librorum prohibitionem ex nova regiminiis forma in Austria inducta haurire vellent, occasionemque arripere tolerantiam theologicam quoque praedicandi. Praelium igitur adversum ipsos est a nobis instaurandum.

Scitis regimen civile aliquando per politicas perturbationes, aut per bella et per consequentias inde derivantes, aut per Principum voluntatem, mutationibus esse obnoxium, et inter alia ex absoluto, ut ajunt, in *Constitutionale* converti. Scitis etiam ab Augusto Imperatore Francisco Josepho I ultro oblatam fuisse Constitutionem Imperio, eo certo fine ut felicitatem subditis ipsius Imperii pararet. Inter nova, quae mutatae rerum condiciones tulerunt, haec habentur: libertas typis edendi cuilibet civi data, absque *censura*, sic ajunt, *praeventiva*; aequalitas in civilibus juribus omnium qui Imperio subijciuntur, sine aliquo inter Catholicos et caeteros Religioni a legibus non improbatæ addictos discrimine; jus demum exer-

cendi cultum publicum et communem cuicumque Societati religiosae, legaliter recognitae, concessum. Quae tria historice a me tantum referri omnes intelligant.

Nos, qui Apostolicis mandatis docti sumus quae sit reverentia supremae Auctoritati civili habenda, omnibus legitimis Auctoritatibus parere prompta obedientia parati sumus: absit autem Ecclesiasticos viros politicis se immiscere factionibus. Sacerdoti, qua homini, qua civi arridere una vel alia posset regiminis forma: qua Sacerdoti vero, principiis Catholicae Religionis innixo, quaecumque regiminis forma, in qua aeternae justitiae normae sartae tectae serventur, suspicienda est ipsi, ab eoque Apostolici praecepti *Obedite praepositis vestris*, erga civilem Auctoritatem observantia inculcanda est.

In Imperio Austriaco a piissimo et nunquam satis laudando Imperatore Francisco Josepho I, de quo Pius Papa IX illa verba proferens « *In quo summa sunt omnia* » elogium majus faciendi spem nobis eripuit, per *Concordatum*, ut sarta tecta jura et privilegia Catholicae Ecclesiae serventur, provisum est. Quod si in aliqua civili Societate, Ecclesiae Catholicae Matri adeo augustae eo gradu eisque privilegiis, quae unicae verae Altissimi filiae jure meritoque competerent, haud frui licet, quis catholico, quod a lachrymis non temperet, exprobrabit, quasi Matris suae aerumnas, siccis oculis animoque immoto, filius spectare possit? Qui corde sentit qualis Mater sit Ecclesia Catholica, is tantum dijudicare potest dolorem filii, qui matrem suam corona non videt redimitam, quae illam non principem inter filias Jerusalem iucedentem (unica enim haec est vera filia Jerusalem), sed universalem Reginam denoustrat. Sed absit filios Sanctae Matris Ecclesiae virginis mitissimae jura civilia aliorum ullo modo laedere velle; nam optime ipsi norunt Matrem tam piam nedum supportare qui in erroribus hujus saeculi versantur, sed et loco charissimorum filio-

rum eos habere, quorum majori exardescit amore. Revera sunt ii drachma perditum, quod ut inveniat mulier totam everrit domum; sunt ovis perdita quam Pastor, nonagintanovem relictis, per praerupta sequitur et inventam super humeros ponit et ad ovile reducit. Absit, dilectissimi, ut aliquid amari ab ore sacerdotali in charos illos erumpat, quorum plerosque forsán invincibilis tenet error; ex quo fit ut non cognoscant quanta mater Ecclesia benevolentia eos prosequatur, qua misericordia ipsorum infirmitatibus compatiatur, quanta sollicitudine ab aeterno periculo eos arcere conetur, et quo animo pro ipsorum salute etiam sanguinem suorum filiorum parata sit profundere. Si mollia tempora fandi occurrant, veritatem Catholicae Ecclesiae efficacibus aequae ac mitibus verbis eorum animis instillare satagite, sed credite mihi, dilectissimi filii, argumenta quae vim maximam habent ad revocandos ad Matris Ecclesiae gremium errantes, sunt pietas, beneficentia, doctrina et humanitas, turpis quaestus aliarumve rerum contemptus, quae omnia benevolentiam ac reverentiam Sacerdoti conciliant. Haec credite mihi, haec sunt argumenta quae, intus movente Spiritu Sancto corda hominum, efficaciora sunt quam acres disputationes, quibus aliquando indurari potius corda videmus quam emolliri. His Sanctus Franciscus Salesius totum agrum Cabiacum ab haeresi expurgatum ad Catholicae Ecclesiae sinum reduxit. Ingrati animi argumentum praeberet, qui ad infinitam Dei Bonitatem acceptum non referret se a catholicis parentibus natum, in sinu Matris Ecclesiae altum, a teneris unguiculis in vera doctrina instructum fuisse. Nos igitur nostrae infirmitatis conscii, quique de nostra fide non nobis sed Domino dandam gloriam scimus, adversus eos qui ab acatholicis parentibus fuerunt progeniti et a pueritia audierunt Catholicae Ecclesiae doctrinam veluti falsam et abominabilem traduci, sectae vero suae placita exaltari; quasi proditorem haberi illum, qui ad sacra Catholicorum se

transferat; (cum eos tot et tantis impedimentis arceri a Catholica religione videamus, relicta eorum sorte justissimi et maxime misericordis Dei inscrutabilibus judiciis), non irae aut alienationis sensu nos abripi sinamus sed tenera pietate complectamur. Talis igitur sit cum alienis a vera Religione agendi ratio, ut non solum jura civilia eorum non laedere simus parati, sed ea sit, quando cum ipsis versamur comitas, ut eorum animos ad benevolentiam alliciat, quae ad veritatem insinuandam plurimum valet. Quae ita a mè dicta esse probe intelligere debetis, dilectissimi, ut nullam lucis cum tenebris conventionem esse patiamini. Certum enim est omnes qui salutem consecuti sunt, si invincibili de veritate Ecclesiae Catholicae ignorantia tenebantur, non ad corpus sed pertinuisse ad animam Ecclesiae Catholicae, scilicet *formaliter* si non *materialiter* fuisse in Ecclesia Catholica. Deus autem solus an sit ignorantia invincibilis in acatholico probe cognoscit; Deus qui in necessariis non deest quique gratias sufficientes omnibus impartitur ut ad veritatis lumen possint pervenire. Nos igitur qui corda non videmus, eos qui ab Ecclesia Catholica extrinsecus extorres sunt, in via perditionis esse dolentissimi ingemiscimus; quamquam nos minime lateat, si ignorantia invincibili quoad Ecclesiae Catholicae veritatem laborent, posse eos Divinae auxilio Gratiae salvari. Errantes homines et bona quadam utique fide errantes amplecti, Catholicae Ecclesiae proprium est; errores Catholicae veritati contrarios reprobare ita proprium est Pastoralis ministerii, ut alias Pastor proditor veritatis esset, et Jesu Christo haud dicto audiens, qui omnem veritatem doceri praecepit. Praeceptum hoc divinum est, cui nulla lex humana potest contradicere. Tolerantia civilis cum Theologica tolerantia minime confundenda est. Videant supremae Auctoritates, ad quas id spectat, quae jura civilia, extorribus a catholica religione, in unaquoque Societate concedenda sint; at nulla lex

humana tolerantiam Theologicam sancire poterit. Essentiale prorsus est Catholicae Ecclesiae seipsam tantum veram esse Ecclesiam Christi inconcusse tenere et docere, ac proinde falsas esse doctrinas ab ipsa abhorrentes; essenziale Ipsi jus declarandi maximi criminis reos, apostatas et perduelles illos, qui cum in Catholica Ecclesia nati et enutriti fuerint, a vera et integra fide deficientes, aliena sacra prosequuntur. Qui libertatem conscientiae a legibus concessam huc protenderet ut fas non esset Catholicis Pastoribus palam haec profiteri, is absurde tolerantiam civilem cum tolerantia Theologica confunderet; illam iudicio Principum, salvis juribus acquisitis, relictam, hanc vero ab Ecclesia Catholica damnatam et Conventioni, inter S. Sanctitatem Pium Papam IX et Augustissimum Imperatorem Franciscum Josephum I initae, apprimo contrariam.

In Conventionis ejusmodi ARTIC. XI praedictum jus Episcopis hisce verbis asseritur « *Idem nullatenus impediuntur, quominus censuris animadvertant in quoscumque fideles ecclesiasticarum legum et canonum transgressores.*

Quod si ipsos laicos legibus Ecclesiae inobedientes poenis spiritualibus mulctandi asseritur Ecclesiae plena potestas, quis non videt potiori jure Ecclesiam in eos qui, cum in Ecclesia Catholica nati atque educati fuerint, apostatantes a Religione Catholica in maximum scelus incidunt, excommunicatione animadvertere posse? Quid hic cum libertate politica commune? quid cum civilibus juribus assertis tam Catholicae Ecclesiae, quam Religionibus in Imperio recognitis?

Lex quae, Theologicam tolerantiam praescriberet esset legalis persecutio Ecclesiae Catholicae, quam, cum legalem dico, minime, ut patet, legitimam reputo; sed legalem extrinseca dumtaxat specie, nam lex quae jura essentialia Catholicae Ecclesiae perturbaret, non proprie lex, sed abusus esset potestatis: Ecclesia in his rerum adjunctis, dum a quacumque

quietis publicae perturbatione abhorreret, fidelesque in omnibus, quae contra Religionem haud essent, obedientiam legitinis Auctoritatibus praedicaret, dum *revolutiones* quascumque alienas a praeceptis Christi dictaret, obediendum magis esse Deo quam hominibus inculcaret; media quidem omnia, quae per patrias leges offeruntur, ad abolitionem earum quae Catholicae Ecclesiae adversantur adhiberet; at si per injuriam violatumque jus magistratus ad praxim deducerent iniqua statuta, Ecclesiae minister paratus semper erit jacturam non solum bonorum suorum, sed et vitae facere, quam perduellem suae conscientiae fieri. Quo modo in facie civilis potestatis, quae viribus suis freta Ecclesiae jura conculcat, Episcopi, quo modo Sacerdotes in Provinciis a Gubernio Pedemontano occupatis se gerant videmus. Sed illi qui nos lacessunt certe qua pietate, qua justitia fulgeat piissimus Imperator Franciscus Joseph non considerant. Piissimus Imperator qui illa, semper memorabilia, verba ad Episcopos Vindobonae Congregatos direxit:

« Concordiam Sancta cum Sede ineundo et Christiani et
« Principis partes peregi. Fidem et spem in Eum, per quem
« Reges regnant, factis profiteri glorior, nec ignoro, quam egregie
« societatis civilis vinculum intimo Religionis sensu confirmetur.
« Quae promisi, ea, quae virum et Imperatorem decet,
« fidelitate executioni mandabo: sed tantum opus non nisi unitis
« viribus ad exitum undequaque perducitur potest. Vestrum erit,
« Reverendissimi Antistites, Mecum, et inter Vos ipsos conspire,
« ut fides et omnis recti honestique vigor apud nos floreat,
« uberesque salutis ac pacis fructus ferat. Fiduciam in Me
« habete, prout in Vobis Ego habeo. Deus nobiscum erit. »

Ex his verbis salis superque patet quodnam sit Imperii Austriaci vexillum, cum de nexu inter Ecclesiam Catholicam et Imperium agitur. Ministri piissimi Imperatoris idipsum non ambiguis verbis enunciarunt; *Concordatum* nempe non posse

in aliqua sua parte mutari, nisi Ecclesiae accedat consensus; Ecclesiam vero in illis, quae essentialia sua jura tangunt, mutationi esse obnoxiam, quisnam catholicus asseret? Quae sit de Imperii cum Ecclesia nexu sentiendum non ab illis ephemeridum auctoribus, quibus nil aliud magis est in votis quam ea exulgare, quae in Religionis diminutionem cedunt, sed ab actis authenticis et ab Episcopis norma est sumenda.

Sed ut finis imponatur his Istructionibus ad id revertamur, a quo initium caepit Oratio, ad librorum nempe prohibitionem. Nemo qui probe sciat discrimen, quod interest inter jus civile et ecclesiasticum, somniavit unquam libertatem typorum quoad leges civiles et quoad externam coactionem confundendam esse cum libertate in facie Ecclesiae et conscientiae. Multa legibus aut permittuntur aut tolerantur, quae si a catholico homine peragerentur reus gravis culpae et esset et haberetur. Limites justitiae legalis ultra limites justitiae Christiano-Catholicae in immensum porriguntur. Et quamvis nemo sit, qui Ecclesiae Catholicae fideliter semper vestigia sectando, fideliter etiam legibus civilibus non obsequatur; qui tamen justus dumtaxat legalis erit non ideo apud Judicem Supremum innocens erit; non enim justitia legalis salvat a gehenna sed Christiana. Ecclesia nunquam muneris sui proditrix cessabit clamare, ut oves a Christo ipsis datae a pascuis venenatis abstineant; semper gravis criminis reos illos asseret, qui libros ab Ipsa interdictos legent; nunquam facultatem poenis spiritualibus coercendi contumaces sibi auferri patietur. Quo modo libertati civili typorum haec adversantur? *Concordatum* Artic. IX ait liberum esse Episcopis libros censura perstringere. Quidni? Libros *materialiter* sumptos censura perstringet Ecclesia, aut non potius fideles qui libros ab Ipsa damnatos legere aut retinere praesumpserint? Ipsum Gubernium quovis opportuno remedio cavebit ne libri noxii in Imperio divulgentur. Dum anno 1849 Venetiis

Regimen a perturbationibus politicis ortum obtinebat, Ephemerides vulgabatur sub titulo, *Sior Antonio Rioba*, in quibus multa erant, quae jure merito auctoritati Ecclesiasticae valde displicebant, praecipue quoad reverentiam debitam Romano Pontifici. Ego ipse, qui apud nunquam satis laudatum, nunquam satis benedictum Eminentissimum Jacobum Cardinalem Monico, cujus gratia, non meis meritis, fruebar, consiliarius et auctor fui, ut illae Ephemerides prohiberentur. Omnes norunt quo successu: Decretum emanatum est et ea fortitudiue, qua se praecingebat piissimus et doctissimus Antistes, cum de officio adimplendo agebatur, executioni mandatum, frustra obgannientibus nonnullis potestate pollentibus, frustra Ephemeridum fautoribus minis etiam mortis me remove conantibus a proposito suggerendi mitissimo Antistiti invicte resistendum esse captiosis artibus, quibus se promptos ad retractandum reprobatos sensus ostendebant. Cum deinde auctores operis reprobati contumaces Decreto damnationis obsistere vellent, et venum offerrent *Numeros*, ut dicunt, Ephemeridum, populi catholici animadversionem sustinere non potnerunt et a proposito resilire coacti sunt. Quamvis aliquis nuussitare aliquid coeperit, quasi illud Ecclesiasticum Decretum laederet etiam tunc libertatem typorum; attamen nec ausus est suam sententiam publici juris facere, nec Regimen perturbationibus politicis ortum eo veni ut auderet dicere potestatem Ecclesiasticam suos limites praetergressam fuisse. Mirum tantam injuriam audere aliquos Ephemeridum auctores inferre regimini Imperii quasi ab eo expectandum ut impediatur quominus Ecclesia jura sibi essentialia exerceat.

Quae cum ita sint, dilectissimi, nullis fraudulentis sophismatibus a Catholicae Ecclesiae doctrinis de libris ab ipsa damnatis, aut de tolerantia religiosa elongari patiamini: ab Ephemeridibus praecipue, quas aut Ego aut alii Episcopi noxias

asseruimus, antequam etiam expresse damnemus proscribamus et prohibeamus, abstinete; ne si prae manibus vestris fuerint, si non vobis saltem aliis, qui vobiscum versantur aut qui ad vos veniunt damno esse possint. Rogate Dominum, in cujus manu sunt corda hominum, ut subditi Imperii, qui erroribus detinentur, veritatis viam ingrediantur, omnes uno ore glorificent Patrem et Filium ejus, omnes in professione ejusdem Fidei, Petri cathedrae adhaereant; nihil enim desiderabilius quam unitas Fidei in vinculo pacis.

Deus autem misericordiarum aures et oculos adaperiat eorum, qui catholici specie tenus videri volunt, et tamen nullum non lapidem movent, ut Matrem Ecclesiam sugillant et infament. Sine speciali miraculo eorum conversio haud speranda est; at abbreviata manus Dei non est. Deus totius consolationis haec vota nostra adimpleat « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. » (II.^a ad Coriinth. XIII 13).

Datum Tarvisii ex Aedibus Episcopalibus

die 9 Augusti 1863

✠ **FRIDERICUS MARIA** *Episcopus*

SUMMARIUM

—o—

I

Occasio harum Instructionum, quam obtulit disseminatio errorum in Dioecesi quoad librorum prohibitionem pag. 5

II

Consilio diriguntur hae Instructiones ad Clerum tantum ut pro opportunitate, pro diversa indole, pro varia ingenii cultura instruantur a Pastoribus uno ore fideles » ibi

III

Jus prohibendi libros asseritur Ecclesiae » 5

IV

Qua ratione Ecclesia libros prohibeat, qui absolute falsum non continent. Etiam hos, sub aliqua specie, falsum continere demonstratur » ibi

V

Aliquando propositionis practicae alicujus defensio prohibetur, quia id quod aliis temporibus aut bonum aut innoxium saltem erat, hic et nunc, si ad praxim deduceretur, esset damnosum; quod confirmatur exemplis » 7

VI

Distinctio prohibitionis libri ab ejus damnatione enuntiatur et exploditur, tum ex usu loquendi auctorum, tum ex usu loquendi Pontificum, tum ex verbis quibus utitur Ecclesia dum libros prohibet. Hoc confirmatur Decreto 19 Maij 1849 in quo opera aliqua Rosmini, Ventura, et Gioberti sunt proscripita. Ad valorem hujus Decreti ad-

struendum nonnulla documenta adducuntur in
 Nota pag. 40

VII

Refellitur error eorum, qui negant Decreta prohibitionis S. Indicis Congregationis tribuenda esse Ecclesiae. Demonstratur Ecclesiam multimode loqui sive immediate sive mediate: eum qui a S. Congregatione librum prohibitum defenderet saltem temeritatis esse notandum, nam praesumptio veritatis stat pro Decreto Congregationis et talis praesumptio quae elidi non potest nisi per Decretum Pontificis aut Concilii Oecumenici . . . • 45

VIII

Praesumptio veritatis pro singulis Decretis S. Congregationis oritur ab adsistentia Spiritus Sancti, quae Magistratui illi deesse non potest, ne pedetentim error insinuetur in Ecclesiam. Nil mirum temerarium esse judicandum eum, qui alicui Decreto S. Congregationis Indicis obsisteret, quamvis non sit omnino certum, certitudine cui falsum subesse non possit, in singulis Decretis quae non confirmantur specialiter a Summis Pontificibus, S. Congregationem infallibilem esse. Et revera aliquando ea doctrina, quae abstracte propugnata aut toleratur aut gravi censura non perstringitur, cum ad praxim in casu particulari deducitur, damnationi subjacet. Hoc aliquo modo illustratur exemplo sumpto a sic dicta *declaratione gallicana* an. 1862, in qua sustinetur Pontificis etiam ex cathedra loquentis ante Ecclesiae consensum haud esse in rebus fidei irreformabile iudicium. Haec et huic similes propositiones tribuendae sunt reapse, ut mihi quidem videtur, non Gallicanae Ecclesiae, sed potiori jure scriptoribus, qui merito aulici dicerentur, quippe qui regiae potestati et placitis conventuum ci-

vilium (*dei parlamenti*) obsequebantur. Hodie vero non solum in aliis provinciis, sed ne in Gallia quidem inveniretur, sic ego existimo, theologus sanioris doctrinae, qui eas falsas propositiones propugnaret. Judicium de illis, qui eas falsas propositiones hodie defenderet, Romanorum Pontificium esto. Certum autem est declarationem illam quidem statim ac emanavit, fuisse a Summis Pontificibus proscriptam, rursusque ejus vitiosam adoptionem a Conciliabulo Pistoriensi factam a Pio Papa VI reprobata, at certum aequè est nota censurae theologicae singulas propositiones in declaratione contentas haud fuisse signatas; attamen scimus in casibus, ut dicunt, specialibus eos, qui ad praxim deducere doctrinam, quæ infallibilitatem denegat fidei Decretis a Romanis Pontificibus ex cathedra pronuntiatas, ante consensum cognitum Ecclesiae, iisque obedientiam detrectarent veluti contumaces habendos fore et anathemate puniendos; ex quo patet quo in periculo versentur, si qui sint, Gallicanae, sic dictae, doctrinae propugnatores. Ratio autem discriminis inter doctrinam in abstracto propugnatam, et ejus in casu speciali applicationem hæc est: aliquando nullius damni fecunda est propositio, si duntaxat ad exercitium ingenii hinc inde discutitur, dum certum sit eos ipsos, qui hoc vel illud fieri absolute sustinent, paratos esse practice tutiorem viam ingredi. Hoc vero luculenter patefecerunt Episcopi Galliae, qui omni data occasione Decretis S. Sedis *inconditionatam*, eamque promptissimam obedientiam praestiterunt; quod etiam obtinet quoad illos catholicos qui, quamvis absolute infallibilia non existiment Decreta S. Congregationis Indicis, quæ speciali approbationi non confirmantur a Summis Pontificibus, tamen corde et animo sunt parati se subjicere illis Decretis in quocum-

que, ut dicunt, casu speciali. Fatendum autem est luce clarius demonstrari infallibilitatem Pontificis ex cathedra loquentis etiam ante cognitum Ecclesiae consensum, et non eodem argumentorum pondere probari posse infallibilitatem S. Congregationis Indicis in singulis Decretis quae non confirmantur speciali approbatione Pontificis pag. 17

IX

Confirmatur assertio experientia trium saeculorum et testimonio haud suspecto Vincentii Gioberti . » 23

X

Probatur eadem assertio etiam ex sensu totius Ecclesiae, quae laudat declarationes Auctorum, qui se subjiciunt Decretis S. Congregationis Indicis . » 24

XI

Objiciunt inepte libros, hypothesim Copernicanam veluti thesim asserentes fuisse, prohibitos et inter illos etiam *il Dialogo di Galileo Galilei* . . » ibi

XII

Wolfius Protestans liberavit Ecclesiam a nota illi iniusta a falsis Catholicis. Idipsum Holbac et ipse protestanticae sectae addictus. Auctor harum Instructionum et ipse idem peregit in libro cui titulus *dello Spirito religioso di Galileo Galilei* anno 1836 Venetiis edito » 25

XIII

Quam prudentissimam normam sequatur Ecclesia, cum agitur de nova doctrina quae nec ad fidem nec ad mores pertinet, quae contraria appareat vulgari interpretationi alicujus textus S. Scripturae . » 28

XIV

Applicantur hae normae negotio Galilei, quoad duo

tempora quae sunt distinguenda nempe anno
1816 et anno 1832 pag. 28

XV

Justissime S. Congregatio Inquisitionis prohibuit libros
qui Copernicanam hypothesim veluti thesim sus-
tinebant anno 1816. Falso asserebat Galileus
vim demonstrationis inesse argumentis ab ipso
adductis. Anno etiam 1832 justissima sententia
in Galileum prolata, quia in frandem silentio
presserat praeceptum illi datum a S. Congre-
gatione ut a Magistro S. Palatii permitteretur
publicatio libri inscripti: *il Dialogo* » ibi

XVI

Quid de prohibitionibus S. Congregationis Indicis,
quae ante publicationem approbantur a Pontifice
et ab illo publicari praecipuntur? Infallibile
omnino est hoc iudicium sic prolatum . . . » 31

XVII

Novatores saltem Episcopis prohibendi libros jus ne-
gant. Hoc jus asseritur Episcopis tum ex natura
rei, tum ex Auctoritate Pontificum » 33

XVIII

Nova argomenta ad infirmandas librorum prohibitio-
nes depromere vellent ex libertate typorum, ex
libertate cultus et aequalitate iurium, per Consti-
tutionem novam Imperii Austriaci, proclamatis.
Sacerdotes omnibus legitimis Auctoritatibus o-
bedire sunt parati. In Imperio Austriaco sarta
tectata servata sunt jura et privilegia Ecclesiae
Catholicae per Conventionem initam inter Sum-
mum Pontificem et Augustissimum Imperatorem.
Quinam verus Catholicus non temperet a lachry-
mis si in aliqua Societate suis privilegiis, et suis
iuribus frui non videt Matrem Ecclesiam . . » 34

XIX

Nullus Catholicus, qui Ecclesiae mandata servet, jura
acquisita illorum qui falsae sectae addicti sunt,
nunquam laedet pag. 35

XX

Quo modo versari debemus cum acatholicis qui in
falsa secta nati et educati fuere? Enumerantur
motiva, quae suadent mitissimam cum illis agendi
rationem esse ineundam, eo quod praecipue tot
difficultates eos impediunt, quominus ad veram
Fidem convertantur. Si ignorantia invincibilis
laborant gratiae Dei auxilio salvari possunt, et
tunc ad animam Ecclesiae pertinent. At dum
extrinsecus ad corpus Ecclesiae non pertinent,
nos, qui corda hominum non videmus, ingemisci-
mus eos in perditionis via permanere, cum incon-
cussum sit illud dictatum *Extra Ecclesiam Ca-
tholicam nemo salvari potest* » ibi

XXI

Tolerantia civilis minime confundenda cum theologica
tolerantia. Theologicam tolerantiam imponere
Ecclesiae nemo potest; lex quae illam praescribe-
ret persecutio esset Ecclesiae Catholicae. Notum
est quomodo se gerant Episcopi in Provinciis a
Gubernio Pedemontano occupatis, in quibus, prae-
ter alia jura Ecclesiae conculcata, A catholicis pu-
blicus cultus religiosus conceditur, cum ab ipso
jam primo articulo Statuti unicam Religionem
Regni esse Religionem Catholicam, decretum sit. » 37

XXII

Servatis juribus Ecclesiae essentialibus per Conven-
tionem initam cum S. Sede jus intactum, (frustra
obnitentibus inimicis Ecclesiae,) prohibendi libros,
moribus et Religioni noxiis, durat in Episcopis . » 40

NOTA

Dum sub praelo erant meae Instructiones in doctrinam catholicam de librorum prohibitionem Roma venit Epistola Encyclica Pii Papae IX data 10 Augusti an. cur.⁶⁶, in qua praeter praeclara monita, apostolico muneri congrua ad praecavendos errores, qui in Italia ab impiis disseminantur, nonnulla de ratione agendi cum acatholicis ineunda disseruntur, quae in Nota hic exhibere ad confirmationem eorum, quae Ipse docui in Instructionibus peropportunum existimo.

« Atque hic, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres,
« iterum commemorare et reprehendere oportet gravissimum
« errorem, in quo nonnulli catholici misere versantur, qui ho-
« mines in erroribus viventes, et a vera fide, atque a catholica
« unitate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opinantur.
« Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime adversatur.
« Notum Nobis, Vobisque est, eos, qui invincibili circa san-
« ctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique
« naturalem legem, eiusque praecepta in omnium cordibus a
« Deo insculpta sedulo servant, ac Deo obedire parati, hone-
« stam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis, et gratiae
« operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui
« omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane in-
« tuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate, et
« clementia minime patiat, quempiam aeternis puniri suppli-
« ciis, qui voluntariae culpa reatum non habeat. Sed notissi-
« mum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra
« catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus

« eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius
« Ecclesiae unitate atque a Petri Successore Romano Ponti-
« fice, cui *vineae custodia a Salvatore est commissa* 1) per-
« tinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem. Cla-
« rissima enim sunt Christi Domini verba « Si Ecclesiam non
« « audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus 2) » Qui vos
« « audit me audit, et qui vos spernit, me spernit, qui autem
« « me spernit, spernit eum, qui misit me » 3) Qui non cre-
« « diderit condemnabitur » 4) Qui non credit, iam iudicatus
« « est » 5) Qui non est mecum, contra me est, et qui non col-
« « ligit mecum dispergit » 6) Hinc Apostolus Paulus huiusmodi
« « homines dicit *subversos, et proprio iudicio condemnatos* 7),
« « et Apostolorum Princeps illos appellat » magistros menda-
« « ces, qui introducunt sectas perditionis, Dominum negant,
« « superducentes sibi celerem perditionem » 8).

« Absit vero, ut catholicae Ecclesiae filii ullo unquam
« modo inimici sint iis, qui eisdem fidei⁷ caritatisque vinculis,
« nobiscum minime sunt coniuncti, quin immo illos sive pau-
« peres, sive aegrotantes, sive aliis quibusque aerumnis affli-
« ctos omnibus christianaе caritatis officiis prosequi adiuvare
« semper studeant, et in primis ab errorum tenebris in quibus
« misere iacent, eripere, atque ad catholicam veritatem, et ad
« amantissimam Matrem Ecclesiam reducere contendant, quae
« maternas suas manus ad illos amanter tendere, eosque ad
« suum sinum revocare nunquam desinit, ut in fide, spe, et

1) Concil. Oecum. Chalcedonen. in Relat. ad Leonem Papam.

2) Matth. c. 23 v. 17.

3) Luc. 10 v. 16.

4) Marc. c. ult. v. 16.

5) Ioan. c. 3 v. 18.

6) Luc. c. 11 v. 25.

7) Ad Tit. c. 2 v. 11.

8) Epist. 2 c. 2 v. 1.

« caritate fundati, ac stabiles, et in omni opere bono fructificantes, aeternam assequantur salutem ».

En quomodo egregie sapientissimus Pontifex, dum firmiter adstruit catholicum dogma : *Extra catholicam Ecclesiam nemo salvari potest* ; catholicam quoque veritatem clare enunciat et enucleat *neminem adultum sine sua culpa damnari*. Certum est enim Deum clementissimum, qui ut in Instructionibus dixi « in necessariis non deest, quique gratias sufficientes omnibus impertitur, ut ad veritatis lumen possint pervenire » illum qui cum invincibili catholicae Ecclesiae ignorantia laborat, tamen divinae gratiae auxilio facit quod in se est, mandata naturalia servat, paratusque est in omnibus Deo obedire, aut luce interiori collustraturum aut, ut S. Thomas Aquinas ait, Angelum missurum de coelis ad docendum ea, quae ab ipso ignorarentur et *necessaria essent* necessitate mediis ad aeternam salutem consequendam, quae sapientissimus Pontifex innuere videtur illis verbis « posse divinae lucis et gratiae operante virtute aeternam consequi vitam ». Quid sentiendum sit de infantibus sine baptismo decedentibus apparet ex nitissima illa scholasticorum Principis Angelici Doctoris sententia, qua statuitur poena tantum damni, minime sensus eos plecti, quod apprime congruit cum allis verbis sapientissimi Pontificis « cum Deus minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat ». En quomodo catholica veritas abhorreat ab illa propositione a Pontificibus iamdudum in Bajo damnata (Prop. 68 Baji) *Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*. Notum est autem juxta catholicum dogma baptisma rite collatum ab Haereticis validum esse; ac proinde animam infantis ab Haereticis baptizati virtutibus theologalibus exornari, eumque cum ad aetatem rationis pervenerit, gratia quam habet nullo

modo sine sua culpa privari. Fatendum tamen est in statu maxime periculoso versari eos qui ignorantia invincibili Catholicae Ecclesiae laborant et quoad praeservationem a culpa et quoad media gratiae recuperandae, quae e converso in promptu habet Catholicus, ac proinde tenero compassionis affectu erga illos nos affici debere, omnem curam adhibere, vitamque ipsam dare, si opus esset, ut eorum conversionem procuremus.

✠ **FRIDERICUS MARIA** *Episcopus*